Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiæ Moralis Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros partitum

Laymann, Paul

Moguntiæ

7. Quænam personæ Ecclesiasticæ exemptione gaudent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

Visual Library

Apoſtoli Rom. 13. Quod ſi bona habent realem obligationem alicuius tituli aut penſionis ac præcedente pacto feudali aut cenſuali Emphyteutico, tunc nihil attendi debet; vtrum perſona, quæ poſſidet, laicus ſit an Clericus, ſubditus an exemptus. Quod ſi tamen Clerici negotiationibus ac lucris ſecularium hominum inhiant, meritò etiam eorum onera ſuſtinent.

10 Priuilegia quæ principaliter data ſunt ob fauorem bonorum Eccleſiaſticorum non competunt Clericis reſpectu bonorum priuatorum: Tale eſt beneficium reſtitutionis in integrum, ſi Eccleſia in contractu læſa ſit; item vt non tempore ordinario decem vel viginti annorum perficiatur vſucapio immobilium bonorum Eccleſiæ, ſed quadragenario. Ratio, quia bona Eccleſiaſtica inter res ſacras numerantur, cuius rei ſignum eſt, quia eorum iniuſta ablatio ſacrilegium cenſetur. Non ita vero bona Clericorum propria, præſertim ex temporali titulo acquiſita ſacra cenſentur, conſequenter eorundem iuris fauorem merentur. Alia ratio eſt, ſi priuilegia datâ fuerunt perſonis ſiue ſtatui Eccleſiaſtico, rebus autem acceſſoriè V. C. vt coram ſeculari Iudice tanquam rei non conueniantur etiam in caſu ciuili & reali.

CAP. VII.

Quænam perſonæ Eccleſiaſticæ Exemptione gaudeant.

1 Regulares omnes vtriuſque ſexus, eorumque Nouitii & conuerſi Eccleſiaſtica immunitate gaudent.

2 Clerici minores gaudent priuilegio exemptionis, ſi ha-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſi habeant conditiones requiſitas à Concil. Trident. videlicet, vt ſint beneficiati, habitum & tonſuram gerentes alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiant. Clericus tamen non ſtatim amittit priuilegium fori, ſi ſemel atque iterum deponat habitum, ſed ſi conſuetudinem non ferendi habuerit; ſi poſtea tamen ſine fraude reſumpſerit, recuperat priuilegium, imò ſi nunquam ferat habitum, non amittit priuilegium fori, niſi ab Epiſcopo ter monitus incorrigibilem ſe oſtenderit.

Priuilegium fori trahit ſecum exemptionem à 3
tributis.

Clerici coniugati, qui cum vna eaq; virgine con- 4
traxerunt, ſi tonſuram & veſtem Clericalem deferentes Eccleſiæ ſeruiant Canonis priuilegium & exemptionis fori in cauſis criminalibus retinent.

Religioſus nouitius ob crimen in Monaſterio 5
commiſſum à ſeculari Iudice etiam poſtquam ad ſeculum rediit puniri non poteſt.

Mota quæſtione de iuriſdictione inter iudicem 6
Eccleſiaſticum & ſecularem decet magis ad Eccleſiaſticum cognitionem pertinere, tanquam maiore authoritate præditum, ſi tamen notorium ſit, exceptionem inanem, & ſolum fallendi cauſa oppoſitam ſecularis Iudex procedere poteſt.

CAP. VIII.

Quo iure fundata ſit Eccleſiaſtica immunitas.

Exemptio Eccleſiaſticorum à ſeculari magiſtra- 1
tu, tùm quo ad perſonas, tùm quo ad bona ipſorum à diuino iure proficiſcitur, legibus autem ciuilibus & canonicis declarata & confirmata eſt, Prob.